









1745.

- Breitkopf, Amstelanus :  
1. Gschel, Dr. Gmelin, de: *Memorial. ... Tab. Enchiridion*  
de Gschel . . . publico . . . interpretate Christiano  
Breitkopfo
2. Conrad, Fridericus Carolus: *De consuetudine legem*  
*hanc vincenti.*
3. Gerike, Petrus: *De regimine captis praesepuis*  
*quasi calorem et frigus.*
4. Perthes, Dr. Georg: *De burggraviis speciatione Norimberga-*  
*genibus panca visserit.*
5. Perthes, Dr. Georg: *De scientia a jure consulto impensis*  
*Germanos et discendit.*
6. Perthes, Dr. Georg: *De reservatione actuum validis*  
*et legitime celebratorum.*

7. Perthes, Dr. Georg: *De jure amortizationis*  
1746.

1<sup>er</sup> (Conrad), Fridericus Carolus: *De formula investiture cum*  
*omni honore. 2 Scapl. 1747 & 1750.*

1746.

1<sup>er</sup> Consalvi, Franciscus Carolus: De formula investiture  
cum omni honore. 2 Sancpl. 1747-1750.

2. Consalvi, Franciscus Carolus: De modo servando in lega-  
tum priorem interpretatione

3. Consalvi, Franciscus Carolus, Ord. jes. Decanus: ad Disputationis 4.  
rem iuxta: Iohannis Friderici Sisenhart . . . invitat.

4. Berlingius, Christianus Gustavus: De militare per-  
antiquo Christianorum jureconsulto ac defensore .

5<sup>er</sup> Wahl, Rev. August Christ.: Dissertation juri ea  
pleriorum ab initioem juri amortizationis sistens

1747.

1<sup>er</sup> Consalvi, Franciscus Carolus: De feudo manali  
2 Sancpl. 1747-1750

2. Consalvi, Franciscus Carolus: De jure retractus in  
bonis Merdingicis presertim ad . . . praepos-  
tum et capitulum cathedralis ecclesiae Hildesheim

Siensis spectantibus

3. Conradus, Franciscus Corvinus: De beneficio et  
legi curiosis pomerori hypothetical specialis non com-  
petente.

4. Frobenius, Dr. Nicolaius: Duncanii de' Welii, Henr.  
Schapiro, Dr. A. Feller et Lysimachii Hosemannii  
... memorial ... orationis sollemni resu-  
nitate.

5. Spiermannus, Isaac Godofredo: Vineratio phile,  
qua testamenta iuris naturalis esse demonstratur

1776 178  
Conrad Bernhard  
die Ausbildung  
der Söhne

7  
Q. D. B. V.  
DISSE<sup>T</sup>AT<sup>O</sup> IVRIDICA  
**PLENIOREM ADSSERTIONEM IVRIS**  
**AMORTIZATIONIS**  
SISTENS.

P. 373.  
QVAM  
AVCTORITATE ILLVSTR. ORDINIS ICTORVM  
IN ALMA IULIA CAROLINA  
PVBLICE VENTILANDAM PROPO<sup>N</sup>IT

PRAESES  
FRID. AVG<sup>V</sup>ST. CHRIST. VVAHL, D.  
RESPONDENTE

IOANNE CAROLO MÜHLRATH,  
VITEMB. SAXON.  
IVRIS VTRIVSQVE CANDIDAT.

AD D. VII. MAII MDCCXLVI.

HELMSTADIJ  
TYPIS PAVLI DIETERICI SCHNORRII  
ACAD. TYPOGR.

(6)



DISTILLATIO TANIDICA  
LITERARUM ADSCRIPTIONEM LITER

ALMORIUM ADSCRIPTIONIS

SISTANS

ALMORIUM DISTILLATORIA ORDINIS TANIDICAE

IN ALMORIUM CAVCICUM

CAVICAE TANIDICAE ALMORIUM

PRAESES

ERID A CALI CHIRIS LAVARE D

REB MOX SED CAVICAE

IOVANNI CAVICAE MULIERA

ALMORIUM CAVICAE

ALMORIUM CAVICAE


ALMORIUM CAVICAE

ALMORIUM CAVICAE

ALMORIUM CAVICAE

ALMORIUM CAVICAE SCHONOGGAE

ALMORIUM CAVICAE





Q. D. B. V.

*DISSERTATIO IURIDICA*

PLENIOREM ADSSERTIONEM IURIS  
AMORTIZATIONIS SISTENS.

*SECTIO I.*

DE BONIS ECCLESIAE ET DE EORVM  
IMMVNITATE.

§. I.

Ecclesiarum sub principe, qui ho- Sub hoste  
stili animo sacra, quibus aduer- Principe  
fatur, infestat, iisque adhaeren- ecclesia-  
tates persequitur, plane diuersam rum sta-  
esse conditionem, ac sub isto, tus.  
qui eundem religionis cultum  
tuetur, primitiuae ecclesiae sta-  
tus, etiamque nostrae, si reformati ius inspicere  
A velis

velis, satis superque indicare videtur. Tali enim ratione in numerum collegiorum illicitorum referuntur ecclesiae, sibi sunt relictæ, a semetipsis pendent, effectibusque ciuilibus sunt destitutæ. Hinc, quod potissimum primitiuam ecclesiæ concernit, nec comparandorum praediorum aliorumque bonorum immobilium locus erat, nec ex ultima voluntate, si cuti et alia collegia, speciali non firmata priuilegio, quid capere poterant. a)

## §. II.

Bona ec-  
clesiae in  
primis fe-  
culis fue-  
runt obla-  
tiones.

Age! videamus, in quonam constiterint tribus pri-  
oribus seculis bona ecclesiae. Iam a temporibus  
Christi, qui eius castra sequebantur, varia, quum sa-  
crorum priuatorum gratia conuenirent, adferebant  
munuscula, panem praecipue et vinum, tam ad in-  
struendam eucharistiam, quam in solatium paupe-  
rum. Pasti etiam inde fuerunt ministri ecclesiae e-  
geni. Vnde originem trahunt consuetae tunc tem-  
poris agapæ, quae nihil aliud fuerunt, quam conui-  
uia ex oblationibus ditionum fidelium parata, et mo-  
do ante eucharistiae celebrationem, modo finita  
communione ita adornata, vt tam pauperes, quam  
diuitiis adfluentes vescerentur, illi autem *αποφέρεται*  
auferrent. b) In Hierosolymitana ecclesia regnabat  
bonorum quaedam communio, nullus erat egenus,  
quum

a) *L. VIII. C. de hered. instituend.*  
ILL. DOM. I. H. BOEHMER in *Iu-  
risprud. eccles. T. I. Lib. I. tit.  
XXXIII. §. 22.*

b) *Cor. XI. 17. 21. ILL. DOM. IO.  
GEORG. PERTSCH in Historia*

*ecclesiast. Sec. I. Cap. XV. §. 1.  
seqq. Sec. II. Cap. IX. §. 2. Sec.  
III. Cap. VII. §. 1. IOH. FA-  
ERICIVS in annot. ad Concil.  
Gangren. can. XI. pag. 81.*

quum ditiones etiam venderent bona, et ut inde redacta pretia inter pauperes distribuerentur, ea in hunc finem Apostolis offerrent. Sic et inter egenos bonorum abundantia aderat. c) Quod vero aliae ecclesiae hanc praxin in imitationem traxerint, non legimus.

## §. III.

Et Apostoli inter alias coelestes doctrinas et do-Continua-  
gmata ad aeternam salutem necessaria, haec monita-<sup>tio.</sup>  
studiose instillarunt: Ne quis se necessitudini fideli-  
um subtraheret, sed potius promptus esset ad exercen-  
dam charitatem et eleemosynam erogandam. d) Mo-lectandi in  
rem gesserunt fideles, et spontaneum his monitis ex-<sup>Ratio col.</sup>  
hibuerunt obsequium. e) Missa fuere spontanea eius-  
modi dona etiam ad alias ecclesias, quo illarum suc-  
current indigentiae. f) Spontaneae tamen erant  
ab initio tales collectae, sicuti et hodie in colligendis  
eleemosynis fieri videmus. Officia enim humanita-  
tis et amoris omnem coactionem respuunt, nec re-  
mediis coacti inculcari possunt. Dicuntur hinc  
non ineleganter honoraria. g) Sed iam olim quodam-  
modo imperatae fuerunt tales oblationes, et inter

A 2

Pon-

c) Act. II. 44. IV. 32. 34. seqq.

d) Act. II. 44 seqq. XX. 35 Eph. IV.  
28. I. Tim. VI. 17 seqq. Hebr. XIII.2. I. Petr. IV. 9. Rom. XII. 13.  
I. Cor. XVI. 2.e) Act. IV. 36. 37. V. 2. seq. CLE-  
MENS Romanus Epist. I. ad  
Corinth. 40. et 44. ARNOLD.in der Abbildung der ersten Christen Lib. III. Cap. VIII. IX. X.  
XI.f) Roem. XV. 23; Act. II. 30. seqq.  
SARPI de Benefic. art. III.g) I. Tim. V. 15. IER. A. COSTA de  
l' origine et du Progres des Re-  
venues ecclésiastiques.

Pontificios hodienum iuberi et extorqueri solent,  
quo tamen nihil absurdius dici ac cogitari poterit.  
h)

## §. IV.

Continu-  
atio.

Alia mens erat primorum, qui post Apostolorum excessum vixerunt, ecclesiarum antistitum. Suadebant tales erogationes in usum pauperum, et spontaneum obsequium praestabant fideles. Audiamus quaedam testimonia. I V S T I N V S Martyr. i.) testis omni exceptione maior, perhibet: In publicis Christianorum congressibus, finita communione, pro sua quemque facultate ac arbitrio pecuniam contulisse, hanc deinde antistites, prout necessarium fuerit, inter pauperes, viduas vere tales, parentibus orbatis, morbo laborantes, nullo caeteroquin personarum respectu habito, distribuisse. Conspiratum cum I V S T I N O etiam T E R T U L L I A N V S k.) dicens: Arcae genus apud Christianos occurrere, modicamque unumquemque stipem menstrua die, vel quum vellet, et si modo vellet, et si modo posset, adponere; neminem enim compelli, sed sponte conferre. Ita adposita quasi pietatis deposita esse, nam inde non epulis, nec potaculis, nec ingratiss voratrinis dispensari, sed egenis alendis humandisque, et pueris ac puellis re et parentibus destitutis, domesticis senibus, naufragis, condemnatis ad metalla, deportatis in insulam, custodiis mancipatis. Dixit etiam: l.) Quod oblationes facerent pro defunctis, pro natalitiis annua die;

h) ILL. DOM. IOH. GEORG. i) I V S T I N V S Martyr in Apol. II.  
PERTSCH. in element. Iuris k) In Apologet. Cap. XXXIX.  
Canon. Part. I. §. 102. l) In libro de corona Cap. III.

die; sed et has spontaneas fuisse e priori loco constat. Varia quoque apud CYPRIANVM occurunt testimonia, quae cum TERTULLIANO conspirant, vnde et discimus, quod nonnullis aliis nominibus insignita fuerint haec fidelium munuscula. Voces: *stipes, oblationes, lucra, sportulæ, menstruae distributiones*, plerumque synonimice a CYPRIANO adhibentur, qui etiam docet, quod ministri ecclesiae, inde vitae necessaria acceperint. m.) Etiam pro mortuis, qui in communione ecclesiae decesserant, oblationes factas fuisse e CYPRIANO n) discimus. Haec munuscula in variis rebus consistentia, in parata quoque pecunia in arcam seu carbonam coniecta, bona fuerunt ecclesiastica. o)

## §. V.

Imperatæ vero, vti antea iam innuimus, quod- Seculo ammodo Seculo III. oblationes saltim ab illis, qui- tertio tabus bonorum fuit affluentia. Sic CYPRIANVS p.) men iam increpat mulierem diuitem, quod in congregatiōne imperatæ nulla obtulisset munuscula. Postea docuerunt, dele- ri oblationibus peccata, adeoque vt totum, quod quis haberet, offerret, variis verborum lenociniis voluerunt persuadere. Offerrent vel morientes ad liberandam de perennibus poenis animam, et quum

A 3

aliud

m) Vid. Epistol. XXXIV. XXXIX.  
et XLV. Edit. Bremens.

Cap. XXVII. Add. GABR. ALBASPI-  
NAEVS Episcopus Aurelianensis  
de vet. eccl. rit. Lib. I. obs. V.

n) Vid. CYPRIANI Epist. I. XV.  
XVI. et XXXIV.

p) CYPRIANVS de Oper. et E-  
leemos.

o) TERTULLIANVS in Apologet.  
Cap. XXXIX. CYPRIANVS Epist.  
V. Confit. Apostol. Lib. VIII.

Origenis  
sententia  
de primi-  
tiarum  
praefla-  
tione.

An deci-  
morum  
praeflatio-  
fuerit ne-  
cessaria?

aliud non possent, saltim substantiam. q) Qui eruditio-  
nis palnam omnibus fere doctoribus dubiam  
reddidit ORIGENES in ea fuit sententia: Occurrere  
inter Christianos idem in specie sacerdotium, quale  
in veteri foedere adfuisse. Suasor itaque fuit, vt fi-  
deles primitias offerrent, immo ita de tali praeflatio-  
ne loquitur, ac si iam fuissest visitata. r) Loquuntur  
etiam sic dicti canones apostolici de primitiis. s) Deci-  
mas necessario praefandas docuit ORIGENES. t)  
Quae de decimorum solutione in veteri foedere san-  
cifa fuerunt, ita in suos usus conuertit CYPRIANVS,  
vt ad sui temporis clerum quodammodo accommo-  
daret, innuens: viuere illum de sportulis, tamquam  
de decimis. v) Sed aperte etiam confitetur: Fideles  
clericis decimas haud praefuisse. w) Nullam tamen  
ad illas exsoluendas adesse obligationem cordati Pon-  
tificii doctores adnoscunt, e quibus vel P A V L U M  
S A R P I V M x) et H E R O N Y M U M A C O S T A y) no-  
minasse satis erit.

### §. VI.

In variis itaque oblationibus consistebant primi-  
tiuae ecclesiae reditus, et tales obuentiones non fi-  
xae,

q) CYPRIANVS loc. cit. et s AL-  
VIANVS Lib. I. Cap. XXIX. fq.

r) ORIGENES aduers. Celf.  
Lib. VIII.

s) Can. Apostol. II. al. III. et IV.

t) ORIGENES in Numer. XVIII.  
Homil. XI. et in 10. Homil.  
XVII. conf. SAM. BASNA-  
GIVS Annal. polit. eccles. Tom.

II. Diff. V. de decimis §. 9.

v) CYPRIANVS Epist. I.

w) Idem de Visit. eccles.

x) Vid. incomparabilis huius  
Theologi Veneti tract. de be-  
neficiis. §. 21.

y) IEROME A COSTA de L'ori-  
gine et du Progrès des Révé-  
nues ecclésiastiques. p. m. 7.

xae, sed temporariae et pro numero Christianorum nunc maiores, nunc minores fuerunt. z) Paucis natura est contenta; sic etiam ministri ecclesiae de his redditibus tantum saltim, quantum ad vitam necessarium, acceperunt. aa) Hinc et plurimi fidelium gloriae sibi ducebant, in maxima rerum penuria, tranquille tamen vitam transfigere. Optime OCTAVIUS Caecilio apud MINVTIVM FELICEM paupertatem Christianis exprobranti, respondit: *Quod plerique pauperes dicimus non est infamia nostra, sed gloria;* et porro: *malumus nos bonos esse, quam prodigos.*

## §. VII.

Minime interim negari potest, abundasse quas Ecclesiae dam ecclesiis dinitiis. Larga enim manu offerre- habue- bant fideles. Cuius rei declarandae caussa plurima runt am- ex antiquitatum monimentis posslem proferre exem- pli- plissimos reditus. Iuuabit interim quaedam producere. Refertur de Marcione haeretico, quod quinque millia nummo- rum aureorum in communem massam contulerit. bb) Sed premunt hanc narrationem quaedam dubia. cc) Si LVCIANO fides habenda foret, multi vel ea de caussa ad Christianorum sacra transferunt, vt e thesauris ecclesiarum et e distributionibus illorum di- tescerent. dd) Si, quae de Laurentii martyrio con- gnauit PRUDENTIVS, vera sunt, tantas diuitias possedit eccl-

z) B. CASP. ZIEGLER *de dote ecclesiæ. Cap. III. § VI.*

aa) ORIGENES *in Matth. Tract. XXV. et XXXI.*

bb) EPIPHANIUS *Heret. XLII.*

cc) vid. TILLEMONT *Mémoir pour servir a l'Hist. de l'Egl.*  
Tom. II. Part. 2.

dd) LUCIANVS *in Peregrino.*

ecclesia Romana, ut ipsi persequutores illis inhiae-  
rint. ee) Sunt vero, quibus huius Poetae relatio  
quodammodo suspecta videtur. ff) Quidquid vero  
desuper statuere velimus, est tamen tam certum,  
quam quod certissimum, quod in vrbibus maioribus  
vel ex oblationibus variis, amplissimi reditus fuerint  
percepti.

## §. VIII.

Adquisiti-  
tos redi-  
tus admi-  
niststrarunt  
episcopi.

Administravit illos Episcopus, et clericis inde  
stipendia soluit. gg) Omnia bona ex oblationibus  
quaesita, sub dispositione quidem fuerunt Episcopo-  
rum, neutiquam vero in eorum proprietate. Sic nec  
confanguineis suis illa elargiri potuerunt, nisi quate-  
nus indigentiae illorum esset succurrentum. hh) Ipsis  
vero Episcopis integrum erat tantum inde decerpe-  
re, quantum ad sustentationem necessarium fuit. ii) Reliquis ecclesiae ministris exinde pariter tunc de-  
mum succurrebant, si aliunde non haberent, unde se  
exhibere possent. kk) Regnauit enim doctrina: Bo-  
na ecclesiae esse patrimonium pauperum. ll) Proin-  
de in adsumptione clericorum, praeter vitae ac mo-  
rum integritatem etiam diuitias personarum respe-  
xerunt, ut de propriis viuerent, nec ecclesiae aera-

ee) PRUDENTIVS *Peri Stephan.*  
*Hym. II. add. SARPI de be-*  
*neficiis §. III. BVSIVS de bo-*  
*norum ecclesiasticorum natu-*  
*ra.*

ff) ANONYMI *Hist. des Papes*

*Tom. I. p. 71.*

gg) CYPRIANVS *Epiſt. XLI,*

hh) *Canon. Apostol. XXXI. al.*  
*XXXIX.*

ii) *Canon. Apostol. XXXIV. al.*  
*XLI.*

kk) ORIGENES *Tract. in Matth.*  
*XXV. et XXXI.*

ll) *vid. CYPRIANVS Epiſt. II.*  
*V. VII. XII. XIV. et de Lapſ.*

rio oneri essent. mm) Quaedam oblationes in ipsa congregatione factae; aliae ad domus Episcoporum et Presbyterorum transmissae, et inter clericos et pauperes iuxta dispositionem Episcoporum distributae. nn) Dicebantur haec munera *naviscula*, seu sportulae. oo) Participantes de his sportulis dicti fuerunt fratres sportulantes. pp) Errat enim CLAVDIVS, qui Fratres per tales fratres offerentes dona, intelligit. qq) Errat sportulan-  
tes qui-  
s ALIG, qui verba de custodientibus munuscula inter-  
pretatus est. rr) Praeter harum sportularum dispensationem obtinuit mensura, seu menstrua distributio,  
et quidem aequalis. ss) Distinctas enim sportularum praestationes fuisse a distributionibus menstruis, satis perspicue ostendit CHRIST. LVPVS. tt)

## §. IX.

Durarunt oblationes etiam sub Imperatoribus Male in christiana religione addictis. vv) Saepe vero Episco-  
pi illas in proprios usus conuertebant: Επι προσφορῶν bonorum  
όνδματι τὴν δωροθεῖαν ἐπιτεχνώμενοι, fordidam munera ecclesiae  
captationem oblationum nomine callide obuelantes, vt a-  
se gesse.  
B it runt epi-  
scopi.

mm) CYPRIANVS Epif. XLI.

nn) Can. Apostol. II. al. III. et IV.  
vel III. IV. et V. et Can. XXXIV.  
al. XLI.oo) BALSAMON in not. ad Can.  
Apostol. I. BEVERREGIVS in not. ad  
Can. Apostol. IV.

pp) CYPRIANVS Epif. I.

qq) GOTHOPR. CHRISTOPH.  
CLAVDIVS in Hist. Fratr. spor-  
tulant. pag. 97. seq.

rr) SALIG de Diptych. Cap. III.

§. 9. Not. c.

ss) CYPRIANVS Epif. XXXIV. et  
XXXIX.tt) LVPVS in Schol. ad Can. X.  
Concil. Tholosan. Oper. Tom. V.  
pag. 44. seq.vv) ILL PERTSCHII Historia  
eccles. Sec. IV. Cap. VII. §. 17.  
et 40. Cap. IX. §. 2. Cap. XI. §. 1.  
seq.

it APOLLONIUS de Montano haeretico. ww) Suasores  
 ideo quidam exstiterunt fidelibus, vt ipsi eleemosynas  
 pauperibus erogarent, nec Episcopis vltierius offer-  
 rent. xx) Ethnicus quidem, sed grauis scriptor AMMIA-  
 nius Am-  
 miani  
 Marcelli-  
 mi.  
 Testimo-  
 nium Hi-  
 stonymi.

„MARCELLINVS postquam, quae inter Damasum et  
 Vrsinum super Episcopatu Romano ortae fuerint,  
 concertationes cum caedibus coniunctas enarravit,  
 pergit: „Neque ego abnuo, ostentationem rerum  
 „considerans vrbanarum huius rei cupidos ob impe-  
 „trandum, quod adpetunt, omni contentione late-  
 „rum iurgari debent: quum id adepti, futuri sint ita  
 „securi, vt ditentur oblationibus matronarum, pro-  
 „cedantque vehiculis insidentes circumspete vestiti,  
 „epulas curantes profusas, adeo vt eorum conuiua  
 „regales superent mensas. Qui esse poterant beati  
 „reuera, si magnitudine vrbis despecta, quam virtus  
 „opponunt, ad imitationem antistitum quorundam  
 „prouincialium viuerent, quos tenuitas edendi po-  
 „tandique parcissime, vilitas etiam indumentorum  
 „et supercilia humum spectantia perpetuo numini  
 „verisque eius cultoribus, vt puros commendant et  
 „verecundos, yy) Egregia sunt, quae ad hunc lo-  
 cum obseruarunt LINDENBROGIVS et VALESIVS,  
 adeoque quaedam hic addere licebit. Graphice de-  
 lineauit HIERONYMVS mores insanos quorundam  
 Episcoporum. „Quidam, inquit, in hoc omne stu-  
 „dium vitamque posuerunt, vt matronarum no-  
 „mi-

ww) EVSEBIUS *Histor. eccl. Lib.*  
*V. Cap. XVIII.*

xx) CHRYSOSTOMVS *Homil. XXI.*  
*in Epist. ad Corinth. add. GRE-*

GORIUS NAZIANZENVS *Orat.*  
*XXXII.*

yy) AMMIANVS MARCELLINVS  
*Hist. Lib. XXVII. Cap. III.*

,,mina, domos, moresque cognoscant, ex quibus v-  
 ,num, qui huius artis est princeps, breuiter strictim-  
 ,que describam, quo facilius, magistro cognito, di-  
 ,scipulos recognoscas. Cum sole festinus exsurgit,  
 ,salutandi ei ordo disponitur, viarum compendia  
 ,requiruntur et paene vsque ad cubicula dormienti-  
 ,um senex importunus ingreditur, si puluillum vide-  
 ,rit, si mantile elegans, si quid domestici suppelle-  
 ,ctilis laudat, miratur, attractat, et se his indigere  
 ,conquerens, non tam impetrat, quam extorquet:  
 ,quia singulae metuunt veredarium vrbis offendere.,  
 zz) Huic vitio quodammodo obuiam iuerunt Imperatores VALENTINIANVS, VALENS et GRATIANVS. a) De luxu Romanorum et aliorum Episcoporum in maioribus ciuitatibus etiam GREGORIVS NAZIANZENVS conquestus est. b) Laudavit vero Episcoporum prouincialium tenuem victimum, vilem cultum, demissos oculos. c)

## §. X.

Sunt, qui putant, quod iam circa incunabula Non ha-  
 christianismi ecclesiae bona immobilia possederint. buerunt  
 d) Sed quam inepta sint horum argumenta, iam ab ecclesiae  
 aliis obseruatum fuit. e) Prohibuerunt leges incer- bona im-  
 tis  
 B 2

- 22) HIERONYMVS ad Eustoch. Epis. XXII.  
 a) Vid. L. XX. Cod. Theodore de Episc. Eccles. et Clerics.  
 b) Vid. Orat. XXXII. et Orat. fune- br. de land. Basil.  
 c) in suis carminibus. Add. SYLPHITIVS

- SEVERVS in Vit. Martin. Cap. XXVI. et Dial. II. Cap. I. et IV.  
 d) Vid. HENR. DODVVELL Diff. Cyprian I. de Voce Clerici.  
 e) Vid. ILL. PERTSCHIIL Histor. eccles. Sac. I. Cap. XVII. §. 7. seq.

tis personis, quorundam omnia collegia et corpora, immo etiam Dii gentilium pertinuerunt, aliquid testamentis relinquere. f) Illicita collegia, ad quae etiam christianorum congregations relatae fuerunt, (§. l.) nulla potuerunt possidere immobilia. g) Ideoneorum itidem testimoniorum fide destituuntur, quae a quibusdam adducuntur, h) quod scilicet seculo tertio ecclesiae passim bonis immobilibus ditatae fuerint. Nec e loco quodam e decreto Gratiani probatio talis peti poterit, i) quod iam obseruauit BLONDELLVS, k) ostendens; istam epistolam circa tempora Othgarii Archipraesulis Moguntini esse conscriptam. l)

## §. XI.

Qualia tamen sec. IV. sub

Cessante demum persecutionem aestu, sub quo per tria priora secula anxie laborauit, postea ve-

ro

f) VULPIANVS in Fragm. Tit. XXII.

§. 4. et 6.

g) Vid. Tit. ff. de Colleg. et Corp.

h) Vid. Anonymi Hisp. des Pages

Tom. I. pag. 51. SARPIVS de  
Beneficiis §. IV. in fin.

i) Vid. C. XVII. q. 4. c. 13.

k) in Pseudo Isidor.

l) Ne quidem templa habuerunt christiani, quousque sub cruce et persecutionum iugo ingemiserent, quidquid in contrarium dicant Cardinalis BELLARMINVS, CORNELIVS A LAPIDE, JO. MEDE, IOSEPH BINGHAMVS aliisque. Omnia enim loca, quae ex patrum scriptis adducuntur ILL. IVST. HENNING BOEHMER in Biss. ad Tertul-

lianum et Plinium II. Diff. 2. et ZIEGLER de Dote Ecclesiae c. II. rite examinarunt. Qui pleniorum discussionem desiderant, ad eant ILL. IO. GEORG PERTSCH. Hisp. ecclesiast. Sec. I. cap. IX. Sec. II. cap. IV. Sec. III. cap. IV. §. 1. seq. vbi rem omnem iam factis peroratam deprehendunt. Risu proinde excipiendi Hispani, perhibentes, se possidere templa cathedralia iam sub Apostolorum temporibus exadificata; et in hoc themate deridendo iam occupatus fuit P. SIMON in tr. de la comparaison des ceremonies des Juifs et de la discipline de l'Eglise. conf. GVNDLING. in Gundling. P. II. Diff. 2. §. 2.

ro meliora fata experta est ecclesia, quum nempe Constan-  
fauere inciperet CONSTANTINO libere  
nvs M., bona immobilia secure adquisuit. Percur- adquisue-  
ramus tamquam per indicem tam huius Principis, runt,  
quam successorum in Imperio erga ecclesias liberali-  
tates. Dedit quippe CONSTANTINVS Carthagi-  
nensi ecclesiae magnam pecuniae summam eum in  
finem, vt inter clericos per Africam, Numidiam et  
vtramque Mauritaniam distribueretur. m) Iussit  
praeterea, clericis et nonnis, seu virginibus sancti-  
monialibus, per totum imperium quotannis certam  
pecuniae summam elargiri. Abrogavit quidem id  
ipsum IVLIANVS, sed renouauit pro parte pristini-  
num institutum IOVIANVS. n) Porro CONSTANTINVS  
mandata dedit, erogarent Praefides prouinciarum  
ad exstunctiones templorum necessaria. o) CONSTANS  
ad Africanas ecclesias extraordinaria misit munera. p)  
Immo iam ante CONSTANTINI tempora, vbi indul-  
gentes Principes fuerunt, passim vel per emtiones,  
vel per donationes, domos, hortos, agros, prata,  
census, ecclesiae adquisuerunt. Mota persequitione  
saepe inter caduca fuere relata talia bona, redditum  
vero pace, securitate et tranquillitate, plerumque  
restituta. q) Sub Principum christianorum imperio

B 3

in-

- 
- m) EVSEBIUS *Hist. eccl.* Lib. X. Cap. VI.  
n) THEODORETUS *Hist. eccl.* Lib. I. Cap. XI. et Lib. IV. Cap. IV.  
SOZOMENVS *Hist. eccl.* Lib. V. Cap. V. et Lib. VI. Cap. III.  
o) THEODORETUS cit. l. Lib. I. Cap. XV.
- p) OPTATVS de *Schism. Donatist.*  
Lib. III. Cap. III.  
q) EVSEBIUS *Hist. eccl.* Lib. IX. Cap. X. Lib. X. Cap. III. et *Vit. Constant.* Lib. II. Cap. XXXVII.  
XXXIX. XL. et XL. LACTANTIVS de *Mort. persequut.* Cap. XLVIII. ibique CYPERVS in *Not.*

ingentes accessiones fecerunt ecclesiae. Plurimorum Episcoporum cura eo directa fuit, vt redditus ecclesiasticos augerent; sed fuerunt, qui agnoscerent, tali ratione ipsum christianismum degenerem fieri.  
 r) Sub CONSTANTINO indultum, vt ex hereditatibus lucra capere possent ecclesiae. s) Voluit CONSTANTINVS, vt illae martyribus et confessoribus, sine legitimis heredibus decedentibus, succederent. t) Reditus templis olim gentilium destinati, passim ecclesiis addicebantur. v) Clerici et monachi saepius eo annitebantur, vt viduarum, orphanorum, diaconissarum aliarumque personarum hereditates caperent. Obuiam quidem quodammodo iuerunt leges his conatibus, simul tamen permiserunt, ultimis voluntatibus ecclesiis bona immobilia relinquere. x) Tanta vero quorundam Episcoporum fuit modestia, vt tunc, quum cernerent, iniuriam sic illatam esse legitimis heredibus, hos ipsos cum inopia conflictare, hereditates repudiarint. y) Ex eiusmodi vero bonis et redditibus clericis vitae necessaria erogata

r) HIERONYMVS in *Vit. Malchi*.  
 C HRISTO S T O M V S Homil. LXXXVI. in *Mattb.*

s) L. (V. C. Theod. de *Episcop. Es-*  
*ccl et Clericis*. L. II. C. *Iustin. de*  
*sacrif. Eccl. paginis crit. Ba-*  
*ron. ann. CCCXXI. N. IV. et V.*

t) PVSEBIVS *Vit. Constant.* Lib. II.  
*Cap. XXXVI. L. IV. C. Theod. de*  
*Episc. et Cler. ibique IAC. GO-*  
*THOFREDVS in Comment.*

v) L. XIX. et XX. C. Theod. de *Pa-*  
*gan. SOZOMENVS Hist. eccl.*  
*Lib. V. C VII. SOCRATES Hist.*  
*eccl. Lib. V. Cap. XVI.*

x) Vid. L. XX XXVII. XXVIII. C.  
 Theod. de *Episc. et Cler.* ibique  
 IAC. GOTHOFREDVS in *Com-*  
*ment. HIERONYMVS Epist. II.*  
*ad Nepat. AMBROSIUS Epistol.*  
*XII. al. XXXI.*

y) POSSIDIUS *Vit. Aug.* G. XXIV.

gata fuerunt. z) Plurimi abhinc clericatum ambierunt. aa) Quidam, vt recipentur, in compensationem omnes suas facultates ecclesiae tradiderunt. Quidam quoque Episcopi in cooprands clericis non tam ad merita et morum integratatem, quam ad diuitias personarum, oculos intenderunt. bb) Praestatio etiam primitiarum passim inualuit. cc) Constat praeterea e variis testimoniiis, decimas a quibusdam personis spontanee solutas fuisse. dd) Nulla tamen lex occurrit, quae omnibus decimarum praestationem iniunxerit. ee)

## §. XII.

Magis magisque exulta fuit doctrina: operari Clerici o-  
tales donationes et collatas in ecclesiis liberalitates, mni stu-  
dio ad-  
remissionem peccatorum: vergere haec beneficia in  
salutem animae. Infinitis testimoniiis probari haec  
possent, nisi iam satis cognita essent. Illi saltim hanc  
haec

- z) POSSIDIUS cit. l. Cap. XXIII.  
aa) L. I. et II. C. Theod. de Episc.  
et Cler.  
bb) CHRYSOSTOMVS de Sacerd.  
Lib. II. Cap. VII.  
cc) Concil. Gangrense. Can. VII. et  
VIII. et Epis. Concil. Gangrense  
apud COLETVM Concil. Tom II  
Col. 426. Concil. Carthagin. III.  
Can. XXIV. Cod. can. Eccles. Afric.  
can. XXXVII. al. XL Concil. Afri-  
can. Can. IV. GREGOR. NAZI-  
ANZ. Epis. LXXX. Confut. Apo-  
stol. Lib. II. Cap. XXII. XXVII.  
XXIX. et XXXV. Lib. VIII. Cap.

- XXX. et XI. HIERONYMVS  
Comm in Malach. III.  
dd) AVGUSTINVS Serm. XLVIII.  
et in Psalm. CXLVI. HILARI-  
VS in Psalm. CXVIII. et in Matth.  
XXIV. HIERONYMVS l.c. GRE-  
GORIVS NAZIANZENVS Orat.  
V. CHRYSOSTOMVS Homil. IV.  
ad Ephes. Conflit. Apostol. Lib.  
IV. Cap. XXV. XXVII. XXIX et  
XXXV. et Lib. VIII. Cap. XXX.  
ee) III. IO. GEORG PERTSCH.  
Histor. eccl. Sc. IV. Cap. XI. §.  
II seq. Cuius obseruationes do-  
ctissimas nostras fecimus.

haec ignorant, qui nulla plane super eiusmodi donationibus confecta instrumenta viderunt. Inde euenit, vt qui deuotione, vt aiunt, alios antecedere cuperent, egregias possessiones clero et ecclesiis conferrent, proprios liberos, parentes, ceterosque consanguineos successione legitima spoliarent. Iam sua aetate PRUDENTIVS ita de tali infucata pietate cecinit : ff)

Tum cura summa est fratribus,  
 (Vt sermo testatur loquax;)      qd  
 Offerre fundis venditis      monor  
 Sestertiorum millia,  
 Addicta auorum praedia  
 Foedis sub auctionibus.  
 Successor exheres gemit  
 Sanctis egens parentibus;  
 Haec occultantur abditis  
 Ecclesiarum angulis,  
 Et summa pietas creditur  
 Nudare dulces liberos.

Tanta enim fuit quorundam clericorum habendi cupidio, vt munera et dona quasi extorquent. Audiamus instar omnium compilatorem constitutionum apostolicarum, qui haec proposuit dogmata: Esse sacerdotes Principes et Reges, immo his excellentiores. Soluenda proinde clero esse tributa. Sicuti anima corpore praestantior, ita et superare sacerdotium regiam dignitatem. Deberi proinde clericis primicias, decimas, mune-

ra  
 ff) PRUDENTIVS Peristephan. Hymn. II. Vers. 73. seq.

ra. gg) Verum enim vero non incongrue dixit „SPANHEMIVS: Quo facta est aetate adultior ecclesia, quo aut locis diffusior redditia, aut otio segnior, aut dignitatibus fulgentior, aut affusis opibus abundantior, hoc magis contraxit vitium seculi.,, Et paucis interiectis: Quanto nempe aut diuitiis „maior, aut multitudine ditior, tanto euasit virtutibus „minor, et elegantior deuotione.,, hh) Auro non struitur ecclesia, sed destruitur; dicit SVLPITIVS SEVERVS, et HIERONYMVS: Postquam ecclesia ad christianos venit, potentia quidem et diuitiis maior, sed virtutibus minor facta est. ii)

## §. XIII.

Interim munificentiam erga clerum et ecclesias exercitam etiam alii postea principes imitati sunt. Audiamus vel AVITVM, qui ad GVNDOBALDV M Regem scripsit: "Quidquid habet ecclesiola mea, simmo omnes ecclesiae nostrae, vestrum est de substantia, quam vel seruastis hactenus, vel donastis.,, Plura alia exempla coaceruauit CHOPPINVS. kk) Romana prae aliis adquaestus ingentes fecit, in pri- Romanus  
mis e spoliis imperii Romani. Fucum enim faciunt, ecclesia  
qui huius ecclesiae potentatum e donatione CO N- prae aliis  
STANTINI arcessunt. ll) Interim tamen tam cer- adquaestus  
fusingen-  
C tum tes fecit.

gg) Constit. Apostol. Lib. II. Cap. XIV. | kk) RENAT. CHOPPINVS de Sacra Politia Lib. III. Tit. I, n. 4.

hh) FRID. SPANHEMIVS in Orat. de Christianismo degener.

seq.

ii) Vid. IAC. GOTHOFREDVS in Comment. ad L. IV. C. Theod.

II) Vid. ILL. PERTSCHII Histor. ecclesiast. Sec. IV. Cap. XI. §. IX.

de Episcop. et Cler.

seq.

tum est, quam quod certissimum, quod a tempore  
huius Principis immensas diuitias adquisuerit. Ad  
hoc tamen, quod nunc tenet, fastigium, demum  
sub GREGORIIS II. et III. adscendit. Hi e-  
nem sub colore, quod causam fidei contra Impera-  
tores iconoclasticos tuerentur, sensim imperio illo-  
rum se subtraxerunt. GREGORII III. studia eo directa  
fuerunt, ut modo Graecorum modo Longobardo-  
rum in Italia potestatem frangeret. Arduum hoc o-  
pus ZACHARIAS, STEPHANVS II. PAVLVS I.  
STEPHANVS III. HADRIANVS I. ope Francorum  
perfecerunt. mm)

## §. XIV.

De immu- Principum vero liberalitas non solum in colla-  
nitate a tione bonorum, sed et in immunitatum variarum  
muneri- concessione se exserebat. Quas personis clericorum  
bus cleri- indulserint immunitates, quarumque in variis Cod.  
cis indulta Theod. legibus nn) mentio fit, sicco praetereundas  
censeo pede. Pluribus enim verbis istas enumerare  
operosa & fastidio plena res ideo foret, quod ad scopum nostrum parum aut nihil commodi possit ad-  
ferre. Paucis monemus, vel ideo talia indulta fu-  
isse a Principibus, ne clerici ab obsequiis diuinis a-  
vocarentur. Egregium proinde est monitum illis da-  
tum ab ESPENIO: ‘‘Hic, inquit, notent clerici nec  
„alia de caussa a muneribus publicis sibi immunita-  
„tem concessam, nisi vt diuinis officiis sine impedi-  
men-

mm) Vid. DE VERTOT. de l'origine de la grandeur de la cour | Vid. L. I. II. VII. X. XI. seq. C.  
gine de la grandeur de la cour | Theodos. de Epis. et Cler. de Rome. pag. 10. seq.

mento vacare queant; quo monentur iuxta vocat<sup>io</sup>nem suam sedulo iis incumbere. „oo) Certe clericos negotia secularia non decere, omnis agnouit antiquitas. Cui vero volupe est de his personis concessis immunitatibus pleniorum cognitionem adquirere, adeat I A C. GOTHOFREDVM. pp)

### §. XV.

Ad immunitatem proinde ab oneribus, quae de immunitate ab oneribus concernunt, progredior. Sunt autem ista vel extraordinaria vel ordinaria. Ab illis praestandis quidem immunes in regula fuerunt ecclesiae, qq) sed in casu necessitatibus, quae nullam patitur legem, exacti onibus se subtrahere nequibant. Id quod per plura secula obtinuit; licet quandoque in conciliis se ipsos a cunctis praestationibus immunes dicere voluerint. Ex quo deinceps eo Hierarchiae res perductae fuerunt, vt Romani Episcopi leges vniuersales conderent, sancierunt, vt ne quidem in necessitatibus casu in censum vocarentur bona ecclesiastica, nisi ex illorum indulgentia. rr) Sed huic Pontificis dispositioni non vbiique mos geritur.

### C 2

### §. XVI.

oo) VAN ESPEN Oper. Tom. I. P. II. Tit. XXXIII.

pp) Vid. GOTHOFREDVS in comm. ad cit. LL. C. Theod. de Episc. et Cler.

qq) Vid. L. I. et II. C. Justin. de Episcop.

rr) Cap. 7. X. de immunitate eccles/ Lectu digna sunt, quae de iure

Canonicō habet CONRINGIVS de Origine iur. Germ. Cap. XXVI. in fin. Magnam mutationem attulit ius Canonicum, quippe quod multum recessit ab antiquis ecclesiasticis legibus usque ad seculum tertium decimum usitatis, ac pontificis dominatum, clericorum dignitatem in immensum

## §. XVI.

Continu.  
at.atio.

Onerum autem, quae praedia premunt, ordinariorum plane diuersa olim fuit ratio. Prout enim illa vel immunia, vel tributis obnoxia fuerunt, ita et libera, vel oneribus obnoxia, ad ecclesias transierunt. Nam id vix ecclesia efficere potest, teste ZIEGLERO, ss) vt onus rei impositum ideo cesset, quia ecclesia praedium tenet, reliquisque possessoribus nouum adcrescat onus. Potissimum, quod attinet neruos istos Reipublicae, sive vectigalia praediis adnexa, tacito etiam pacto ad fundum acquirentem transeunt. tt) CONSTANTINVS quidem, quo annimos Episcoporum sibi conciliaret, plenam libertatem ecclesiis indulxit, vti ex L. I. C. Theod. de *Annona et Tributis* patet, cuius verba hoc pertinentia haec sunt:

*Praeter priuatas res nostras et ecclesias catholicas - nemo ex nostra iussione praecepis emolumentis familialiter iuuetur substantiae. etc.*

Sed temporariae erant hae immunitates. Quae enim ex mera liberalitate et munificentia CONSTANTINI promanarunt, successores minime obligabant.

Fa-

*extulit, nouum et longum iudiciorum ordinem, comperendinationum et procrastinationum vberem campum, pro simplice majorum iuridici processus formula obtrusit, multitudine, varietate, et obscuritate legum et clevo et aliis crucem quasi fixis, superstitiosos hominum animos,*

*in rempublicam armavit, clericorum ac populum perpetuo collisit, denique litibus Germaniam impleuit et emunxit argento. Certe plus longe mali ab illo iure est enatum, quam boni.*  
ss) ZIEGLER de *Date Ecclesiae Cap. XII.*  
tt) Conf. L. I. ff. de *Quæstion. RHE-  
TIVS de censu fundo coharente.*

Factum hinc, vt sequentibus temporibus bona ecclesiae omnino tributis fuerint obnoxia. Quid? quod census regulariter omnibus Principibus a cunctis debet praefstari. Christus et Apostoli ab hoc onere se liberos non putarunt. Et AMBROSIUS fatetur: vv)

*Si tributum petit Imperator, non negamus, agri ecclesiae soluunt tributum. Si agros desiderat Imperator, potestatem habet vindicandorum.*

et in alio loco. ww)

*Si enim censum Dei filius soluit, quis tu tantus es, qui non putas esse soluendum.*

Ex quibus ad oculum patet AMBROSIUM docuisse iuxta exemplum Christi et Apostolorum de possessionibus et praediis ab ecclesiis possessis tributa esse soluenda. xx) Descendunt enim tales exemptiones ex iure humano, non ex iure diuino. Ipsum Gratiani decretum sifit textum, qui vindicem agit iurium summae potestati ciuili competentium. yy)

### §. XVII.

Imperator CONSTANTIVS, vt bona ecclesiae ordinariis oneribus obnoxia essent, lata lege iussit. Actum erat in Synodo Ariminensi, Ann. CCCLIX. congregata, de priuilegiis ecclesiarum et clericorum;

C 3

ita

vv) Contra Auxentium in orat. *de xx*) Vid. C. 23. q. 8. c. 21. et trad. Basili. relatus in C.H.q.I.C.27. 22. Add. FR. FLORENTIS O-

ww) In comment. in Lucam Lib. IV. perum T. II. pag. 46. C. V.

yy) Vid. c. Quo iure I. D. 8.

ita nimurum ut iuga, id est, is terrae modus, cui colendo per annum iugo boum opus est, ab oneribus plene liber esset. zz) Hanc vero Synodi dispositionem repulit CONSTANTIVS Imperator. a) En verba legis:

*In Ariminensi Synodo super ecclesiarum et clericorum priuilegiis tractatu habito, usque eo dispositio progressa est, ut iuga, quae videntur ad ecclesiam pertinere, a publica functione cessarent, inquietudine desidente; quod nostra sanctio dudum videtur repulisse. Et porro: De his sane clericis qui praedia possident, sublimis auctoritas tua non solum eos aliena iuga nequaquam statuet excusare; sed etiam his, quae ipsi possident, eosdem ad pensitanda fiscalia perurgeri. etc.*

### §. XVIII.

Continuatio.

Qui deinde solium conscendit IVLIANVS, sub Apostatae nomine notus, omnia fere ecclesiis concessa priuilegia abrogauit. Fertur, illum hanc prodidisse rationem: quod euangelium pauperes felices beatosque praedicet. Narratur, quod quum pretiosa vasa, diuino vsui dedicata, in fiscum inferre iussisset, visis illis, exclamasset: *En! quibus vasis ministratur filio Mariae.* Sed obseruarunt iam alii scriptores, ethnicos nimium extollere virtutes huius Principis, christianos e contra saepius plus iusto in illum

zz) IAC. GOTHOFREDVS in  
Covim. ad L. XV. Cod. Theodos.  
de Episc. et Cler. STEPH. BALV-  
ZIVS in not. ad Concil. Arimin.

apud COLETVM Concil. Tom. III.  
Col. 900.  
a) L. XV. C. Theodos. de Episc. et  
Cleric.

illum insurgere. b) Dubio quidem caret, quod immunitates ab antecessoribus concessas, cassas et irritas dixerit, redditus ecclesiasticos passim diminuerit, violatores templorum, idolis consecratorum, poenis adfecerit. c) Claudere iussit Antiochiae templum magnum, in quo christiani conuentus sacrorum causa habuerunt, mandauitque, ut thesauri ibi conditi in fiscum redigerentur. Sed ideo hoc fieri voluit, quod in suspicionem incidissent christiani, ac si Apollinis templo ignem admouissent. Qui in tali spolio excessus occurrerunt, non Imperatorem sed comitem Julianum auctorem agnoscunt, quem ideo grauiter taxauit Princeps. d) De reliquo vero liberum religionis exercitium christianis permisit, et a CONSTANTIO bannitos Episcopos ad sedes suas reuocauit, atque ablata illis bona restituit. e)

## §. XIX.

Factum vero fuit successorum huius Principis indulgentia, ut passim pristinam immunitatem ab oneribus extraordinariis, ecclesiastica bona recuperarent. Ordinarias vero praestationes et tributa pendere debere clerum et ecclesias, publica non solum,

Continuatio.

ceu

b) Vid. ILL PERTSCHII *Histor. eccl.* Sec. IV. Cap. I. §. 45 et 46.

LIANVS in *Misopog.* SOZOME-

c) SOZOMENVS *Histor. eccl.* Lib. V. Cap. V. GREGORIUS NAZIANZENVS *Orat.* III. IV.

et XX. THEODORITVS *Histor. eccl.* Lib. III. Cap. III. seq. GREGORIUS NAZIANZEN. *Orat.*

III.

LIANVS *Epiſt.* XXIII.

e)

IVILIANVS *Epiſt.* XXVI AMMI-

d) AMMIANVS MARCELLINVS *Histor.* Lib. XXII. Cap. XIII. IV-

ANVS MARCELLINVS *Hist.* Lib. XXII Cap. V. SOZOMENVS

cit. I. Lib. V. Cap. V.

ceu iam obseruui (§. XVI.) fuit doctrina; f) sed et ipsae leges eo redibant: canonem seu censum fundo cohaerentem exfoluendum esse. g) Erat huic censi nomen: *praestationis canonicae*. Hortatus est VALENTINIANVS Augustus Episcopos, ne se vel huic praestationi, vel obsequio, legibus alioquin debito, vlla ratione subtraherent. h) Aperte, vt denuo notem, docuit AMBROSIUS: Posse Principes non solum tributa de bonis ecclesiae exigere, sed et illa penitus suo patrimonio vindicare. i) Regula itaque fuit: canonicas praestationes etiam ab ecclesiis esse exfoluendas. Inde euenit, vt ecclesiae quandoque bona donata, vel legata, possidere noluerint. k) Thesalonicensem, Constantinopolitanam et Alexandrinam ecclesias et ab his exactionibus liberas fuisse, fateor. l) Qualescumque vero fuerint immunitates, ecclesiae, religioni et clericis concessae, orthodoxis duntaxat illis vti licuit. m)

## §. XX.

Continuatio. Prodiit vero constitutio ab Imperatoribus VALENTINIANO iuniore, GRATIANO et THEODO-  
SIO, iubens, ne vllus a sordidis et extraordinariis  
muneribus immunis esset. n) Postea vero HONORIUS, vt nihil extraordinarii muneris ecclesiae, vel  
for-

f) AMBROSIUS *Orat. de trad. Basil. et Epistol. XXVII.*

g) L. XXXIII. C. Theod. de Annos et Tribut.

h) THEODORITVS *Hist. eccles. Lib IV. Cap. VIII.*

i) AMBROSIUS *I. cit. et Serm. I. de Diversis.*

k) AVGUSTINUS *de Diversis. Serm. XLIX. al. CCCLV.*

l) Vid. L. XXXIII. C. Theod. de Annos. et Tribut. L. VI. C. Theod. do Patrocin. vicor.

m) L. X. C. Theod. de Haeret.

n) Vid. L. XV. C. Theod. tit. cit. L. XVIII. cod.

sordidae functionis agnoscerent, constituit. o) Deinde ipsa priuilegia ecclesiarum, quantum ad onera, de bonis praestanda, in ordinem quendam redegit. p) Plenaria hinc immunitate non gaudebant ecclesiae. „Pater id ex L.XL. cit. vbi: “Placet rationabilis consilii tenore perpenso districta moderatione praescribere, a quibus specialiter necessitatibus ecclesiae virium singularum habeantur immunes. Prima quippe illius usurpationis contumelia depellenda est, ne praedia vobis coelestium secretorum dicata sordidorum munerum faece vexentur. Nullam iugationem, quae talium priuilegiorum forte gratulatur muniendi itineris constringat iniuria, nihil extraordinarium abhinc superindictumue flagitetur; nulla pontium instauratio, nulla transactionum sollicitudo gignatur, non aurum, ceteraque talia possunt. Postremo, nihil praeter canonicam illustrationem, quod aduentitiae necessitatis sarcina repentina depoposcerit, eius functionibus adscribatur. Eiusdem fere tenoris constitutiones etiam promulgant THEODOSIVS iunior q) et VALENTINIANVS; r) ita ut et clerici onera patrimonialibus fundis indicta, praestare debuerint. Alia enim ratio fuit personalium, alia realium immunitatum, s)

## §. XXI.

Eadem rerum facies fuit regnante IVSTINIA-Continuatio  
no, qui constitutionibus suis edixit, ratum ac firmum

D                          Mum

- 
- |   |  |
|---|--|
| o) L. XXII. C. Theod. de extraord. et sordidis muneribus. | Tribut.  |
| p) L. XL. C. Theod. de Episc. et Clericis.                | L. XLVI, XLVII. C. Theod. de Episc. et Clericis. |
| q) L. XXXIII. C. Theod. de Annon. et                      | s) L. XV. C. Theod. tit. cit.                    |

mum esse, quocunque ad ecclesias perueniat, hac tamen lege, ut pro illis (adquisitis scilicet bonis) pen-siones soluerent. t) Sub sequentibus Imperatoribus in Oriente mox data est immunitas, mox sublata. Superfluum foret, si concatenata quadam serie priuilegia ab uno data, ab altero sublata, enumerare vellemus. Quod ecclesiae a tributis non fuerint im-munes, luculentissimum praebet exemplum CONSTANTINVS IV. cognomine Ponogatus, qui pa-trimonium ecclesiae Romanae, quod habuit in Sicilia et Calabria, et IUSTINIANVS II. qui patrimoni-um ecclesiae Romanae in Gallia et Abrutio a tribu-tis exemptis. v)

### §. XXII.

De im-munitate  
a Regibus  
Franco-  
rum ec-  
clesiis et  
clericis in  
dulta.

Munificentia et liberalitas, quam in Regibus Fran-corum admiramur, summa quidem fuit, nihilomi-nus tamen, quod territoria, vrbes ecclesiis donarint, bonaque ipsarum ab omni obligationis nexus exeme-rint, non satis liquet. VADIANVS w) hanc in rem ita perorat: "Donarunt quidem Franciae Reges, sed „perparce, nec expressa vlo diplomatice, aut ullis „chartis indicata ante LUDOVICI tempora., Quam ecclesiis et clericis indulxit CLODOVAEVS immuni-tatem discimus e Concilio Aurelianensi l. Anno dxi. con-gregato. Ita tunc loquuti sunt Episcopi congregati: x) „De oblationibus vel agris, quos Dominus noster „Rex ecclesiis suo munere conferre dignatus est, vel „adhuc non habentibus, Deo inspirante, contulerit, ipso-

t) Vid Novell. XXXVII. et XLIII.

v) SARPI de Beneficiis § IX.

w) VADIANVS de coll. et monast.

Germ. Lib. II. apud GOLDAST.

Tom. III. Rer. Alemannic.

x) Vid. Concil. Aurelianen. I. Cap.

„ipsorum agrorum vel clericorum immunitate con-  
cessa, id esse iustissimum definimus.“ Eiusdem re-  
noris sunt, quae fanciuit **LVDOVICVS** Augustus  
in *Concilio Ticinensi Anno DCCCLV.* “Statuimus, vt  
„ecclesiae Dei per totius regni nostri fundatae termi-  
nos sub nostrae immunitatis tuitione securae cum  
„rebus et familiis permaneant, ceu praedecessorum  
„nostrorum piissimorum, videlicet Augustorum, tem-  
poribus fuisse probantur, earumque rectores pro-  
„priis vtantur priuilegiis.“ y) Vix vero, si recte iu-  
dico, a quoconque vectigali praestando immunes ec-  
clesiae fuerunt. Procul dubio enim **LVDOVICVS**,  
vbi praedecessorum priuilegia confirmat, et de im-  
munitate *cum rebus et familiis* loquitur, respexit ad  
id, quod antea cautum in *Capitularibus CAROLI M.*  
Principis alias in clerum indulgentissimi: “Sancitum  
„est, vt vnicuique ecclesiae manus integer absque alio  
„seruitio attribuatur. Et Presbyteri in eis constituti  
„non de decimis, neque de oblationibus fidelium, non  
„de domibus, neque de atriis, vel hortis, iuxta ecclesi-  
„am positis, neque de praescripto manso aliquod ser-  
„uitium faciant praeter ecclesiasticum. Et si quid am-  
„plius habuerint, inde senioribus suis debitum serui-  
„tium impendant.“ z) Simile quid liquet ex alio textu,  
vbi haec occurrent verba: „Quicunque terram tribu-  
„tariam, vnde tributum ad nostram partem exire so-  
„lebat, vel *ad ecclesiam*, vel alteri tradiderit, is, qui eam  
„suscepit, tributum, quod inde soluebatur, omni

D 2

„modo

V. apud **COLETVM Concil.** y) Vid. Idem *Concil. Tom. IX.*  
*Tom. V. Col. 544.* Col. u66.  
z) *Capitul. Lib. I. cap. LXXXV.*

„modo ad partem nostram persoluat, etc., aa) CAROLVS CALVVS pariter constituit: “Ne de vno isto man-  
so, ecclesiis sine seruitio concessso, domini feudales,  
„qui ibi seniores vocantur, censum a Presbyteris re-  
„quirant. bb)

## §. XXIII.

Mansus  
quid?

Quid vero mansus fuerit? paucis dispiciendum erit. Mansus, mansa, mansum, mansis, masus, quae verba apud scriptores leguntur, (nam occurrit usurpata vox in genere masculino, feminino et neutro, in prima, secunda, tertia et quarta declinatione;) varias habuere significationes. cc) Alii dicunt: Mansum esse villam, aut locum familiae; Alii fundum cum certo agri modo; Alii villulam vnius coloni habitationi propriam; Alii quantitatem terrae, quae sufficeret cum duobus bobis in anno ad arandum; Alii denique mansum a manendo dictum putant, quod integrum sit duodecim iugeribus. Inde conficitur, reuera mansum fuisse certam agri portionem, quae et coleretur, et in qua coloni aedes essent. dd) Vbi in speculo Saxonico vox *Hufé Landes* occurrit, adhibuit latinus interpres vocem, *Mansus*. ee) Origo proinde huius verbi vel a mensura, vel a manendo descendit. Quum enim talis ager certo modo fuerit circumscriptus, necessario sequitur, vt certam ac determinatam habuerit mensuram. ff) Mansum au-

aa) *Capitul. Lib. IV. cap. XXXVII.* | dd) *DUFRESNE loe. cit.*

bb) *Capitul. Tit. XXXVII. Cap. II.* | ee) *Vid. Spec. Saxon. Lib. II. Art. 54.*

Add. *Tit. XXXVI. Cap. II.*

cc) *Vid. DUFRESNE Gloss. Latin.*

voce: *Mansus.*

ff) *CALVINVS in Lexico iuridico; hac voce.*

autem fuisse certum agri modum, et plerumque duodecim iugeribus aut bunnariis constitisse, multis chartis probatum dari potest. gg) Certum tamen est, denotare vocem etiam quandoque curiam, coloniam. Sic recte HENRICVS MEIBOMIVS: "Mansus est praedium, in quo quis manere, ac familiam alere potest. hh) Sed et recte IACOBVS CVIACIVS: Mansus est fundus, vnde quis se et familiam suam tueri satis commode potest." ii) Certe plerumque aedificium in manso positum fuit, sicuti et in iure feu-dali dicitur: *Curtis est in manso.* kk) Colentes mansos, vocabantur homines de mansa, mansuarii, manentes, mansarii, mansoari.

### §. XXIV.

Fuerunt vero mansi varii generis, vel *seculares*, Varia qui in priuatorum hominum patrimonio; vel *ecclesiastici*, ad sustinendos clericos destinati. ll) Illa enim agri portio, quae ipsi ecclesiae in dotem adsignata fuit, vel Presbytero, ecclesiae deseruienti, cum aliquot mancipiis, et immunis erat ab omnibus operibus, mansi ecclesiastici nomen gessit. Diuiditur etiam mansus in *vestitum*, rusticis instrumentis instructum, et, qui ipsis caret, non *vestitum*. mm) Alii

D 3 dice-

gg) Vid. DU FRESNE cit. l. et voce: Mansus ecclesiasticus.

hh) Vid. HENR. MEIBOM in *Vindiciae Billingianis*.

ii) DU FRESNE cit. loc.

kk) Vid. I. *Fœud.* 4.

ll) Errat proinde Glossa ad Cap. I. X. de decimis illum mansum ecclesiasticum reputans, vnde frumentum et vinum ad faeram coenam instruendam sumeretur.

mm) ZIEGLER de Dote Ecclesiarum Cap. VIII. §. 41.

dicebantur *dominicati*, *indominicati*, *dominici*, id est, proprii et peculiares domini mansi, quos ipse dominus colebat, et fructus inde percipiebat, qui neque in feudum, neque alio titulo alteri concessi sunt. nn) Talis mansus in eius dominicatu, sive in dominicatura esse dicebatur. oo) Occurrunt etiam in chartis *mansi regales*, Regibus scilicet proprii: *mansi capitales*, vel *cabales*, a primogenito familiae possessi, quorsum et *domum ipsam*, ad primogenitum, vel *caput familiae* pertinentem, referebant: porro *mansi caminatae*, seu *camerae*: *mansi fiscales* et *hereditarii*, seu *patrimoniales*, iure hereditario a parentibus accepti: *mansi ingenuiles* vel *ingenuales*, seu ab ingenuis et liberae conditionis hominibus culti, nullis seruitiis obnoxii: *mansi seruiles*, a seruis et colonis exulti, sub censu aut aliis conditionibus, vel quod vilioribus seruitiis obnoxii: *mansi censuales* a censu, quem eorum coloni domino pendebant: *mansi manoperarii*, quod operis essent obnoxii illorum cultores: *mansi taillabiles*, seu talliis obnoxii: *mansi tributales*, quod illis tributum a Principe impositum ad onera bellica et alias necessitates: *mansi carroperarii*, qui carrorum operas debent: *mansi lidiales* qui a litis seu seruis excolebantur, vel militibus oneribus subiecti: *mansi exercitales*, seu militibus loco mercedis attributi: *mansi equitum*, et *paganium*, culti a militibus vel rusticis: *mansi barscalci*, fundi colonorum liberorum, diuersi a mansis seruorum, culti ab hominibus mediae conditionis, inter libe-

nn) CALVINVS in Lexico iuri-  
dico. voce: Mansus. Du FRESNE  
Gloss. voc: Mansus dominicat.

oo) IACOB. SIRMONDVS in not.  
ad Capitul. p. 796. Edit. BALV-  
ZIAN.

liberos & seruos: *mansi mutabiles*, ab eiusmodi hominibus posselli, qui nullo certo fundo, seu glebae addicti, quibus oppositi *mansi sediles*; porro, *mansi amasati*, id est, aedibus instructi; *dismasati* vero illis destituti: Erant etiam alii *mansi culti*, alii *inculti*, illi etiam dicti *vestiti*, *laborati*, *cooperati*, hi vero *nudi*, *apri* vel *abfi*, pasturae saltuum destinati. Notari praeterea debet, vocem *mansus* nude interdum occurrere, ut vel *terram seruitis obnoxiam*, vel *reditus*, seu *seruitia* *mansi* denotet. Usurpata etiam quandoque fuit vox pro *aede curali*, seu habitatione Presbyteri, parochi. *Sellula mansi* erat domus coloni in singulis mansis. pp)

### §. XXV.

Diximus iam, mansum fuisse certum agri modum, plerumque e duodecim iugeribus vel bunnariis constantem. HINC MARVS dixit: q) Si habent mansum habentem duodecim bunnaria., Alii pro Bunnariis iugerum adpellationem adhibuerunt. qq) Adducit ZIEGLER rr) ex Augustino ss) explicationem, vbi tanta terrae quantitas, quae sufficiebat duobus bobus ad arandum per annum, id est, XLVII. acratura. Quid autem sit acratura? non satis liquet. Medii aei scriptoribus mansum dictum Huba, Hoba, Huoba, tt)

PP) CAR. DU PRESNE in Glff. La-  
tin. in alleg. vocib. et voc Co-  
pertus, Bariscalus, Amafatus,  
Abfus. Et addit. in noua Edit. ad  
voc. Mansus Presbyterial. et Man-  
si censual.

q) HINC MARVS Capital. Symo-  
dal. Cap. II.  
qq) DU PRESNE cit. l. voc: Mansus.  
rr) ZIEGLER l. c.  
ss) Vid. AVGVSTINI not. ad Cap.  
I. de Censibus.

tt) quod vel ex diplomate quodam OTTONIS I. vv) li-  
quet: vbi: "Dotem quoque ecclesiae, id est, duas  
„hobas possessas, et beneficium Presbyteri in eodem  
„loco deseruientis, id est, vnam hobam." Exinde  
Bonnari-  
um quid?  
Acratura  
quid?  
Iugerum  
quid?

forfitan nostrum eine Huse Landes. Hoc certum est,  
bonnarium, vel bunnarium denotasse modum, agri  
certis limitibus seu bonnis definitum. ww) Acratura  
vel Acra pariter certa fuit terrae portio mensurata,  
variae tamen quantitatis, pro diuersis regionum et  
prouinciarum moribus. Sic quandoque ita descri-  
bitur: *Viginii quatuor soleae pedis faciunt perticam ter-  
rae, quatuor virgulæ faciunt ACRAM: pertica terrae facit  
viginti quatuor passus, seu soleas pedis: quadraginta perti-  
cae terrae faciunt virgulam: duae virgulæ faciunt arpen-  
tum.* Alii modum ita determinarant: *ACRA capit ver-  
geas quatuor, vergeas perticas quadraginta, pertica pedes  
quadratos viginti quatuor.* Apud Anglos Acra habuit in  
longitudine quadraginta perticas, et quatuor in lati-  
tudine, pertica vero sedecim pedes. Si ACRAE saltim  
viginti perticae in longitudine fuerunt, habuit octo  
in latitudine. Alii perhibent: apud Anglos ACRAM  
esse quantitatem terrae, sexdecim perticas in longi-  
tudine continentem, et totidem in latitudine. Hodie  
ACRA in latiori significatione accipitur pro iugero. xx)  
Varia vero etiam iugerum fuit magnitudo. Modo  
denotauit vnius diei opus aratoris: terram, quam iun-  
cti boues uno die arare poterant: vnum, vt quando-  
que

tt) Conf. HENR. MEIBOM. loc. cit. | ww) Vid. Du FRESNE cit.  
vv) Quod adducit PITHOEVIS in | loc. voc. Bonnarium.  
Glossario. ad Capitul. p. 718. Edit. xx) Vid. Du FRESNE in Gloss.  
BALV TZ. Latin. voc. Acta,

que dicitur, et dimidium Morgum: terram sex virgarum in latum, et triginta in longum, ita ut virga haberet nouem vlnas in longitudine, vel terram constantem in latitudine pedum cxx, in longitudine ccxl. yy) Addo: vocis Acrae etymon vel a latino ager, vel a germanico Acker descendere. zz)

## §. XXVI.

Fuerunt vero mansi ecclesiastici, ecclesiis in dominum dati, vel Presbyteris, illis deseruientibus, ad signa ecclesiis in dotem vestiti, seu culti, immo aedificiis ad mansionem, datus vestimentis ad arandum necessariis, et mancipiis utriusque sexus instructi. Ita enim HINC MARVS loquitor. „Quidam res comparant, et in illis structuras faciunt, et in eisdem feminas recipiunt, quae dominus curam gerant.,,, a) Circa numerum autem mancipiorum nihil certi poterit determinari. In Synodo Coloniensi quatuor mancipiorum mentio occurrit: Neque ex dote ecclesiae, id est, ex uno manso, et quatuor mancipiis census exigatur.,,, b) Quatuor mancipiorum etiam HINC MARVS meminit; nec non concilium Metense c) et IOHANNES VIII. d) In Capitulis vero LUDOVICI PII duorum mancipiorum fit mentio, et auctor vitae huius Imperatoris de seruo et ancilla loquitus est. e) De immunitate horum mansorum variae prostant et Imperatorum, et

E

Con-

yy) DU FRESNE cit. l.

zz) DU FRESNE loc. cit.

a) HINC MARVS Epist. II. Cap. XXXIV.

b) C. non. IV. conf. PITHOEV M in Glaßario ad Capitul.

c) Vid. Can IV. apud COLETVM Concil. Tum. XI. col. 593.

d) In Epistola mox citanda.

e) Vid. DU FRESNE cit. l. VOC. Mansus ecclesiasticus.

Conciliorum constitutiones. f) Haec a seruitiis libertas, dicitur immunitas de manfo. g)

### §. XXVII.

Denumero manorum ecclesiis tributorum.

Duos mansos habuerunt ecclesiae apud Saxones pro dote; aliis vnu sufficiebat. h) Non inepte arbitratus est ZIEGLERVS: i) eiusmodi dotes tantum ecclesiis minoribus fuisse constitutas, cathedrales vero siue maiores amplioribus fuisse instructas praedis. Putat trecentos mansos talibus ecclesiis in dotem ex lege constituendos fuisse. Constat quidem, quod eiusmodi ecclesiis trecenti nonnunquam mansi fuerint adsignati. Varia loca hanc in rem adduxit CALVINVS k) ex ALBERTO CRANZIO. l) Adducam quaedam. Sic haec legimus. „Adsignavit trecentos „mansos ecclesiae in perpetuum seruituros. „Accedit elegans locus, quem etiam adduxit ZIEGLER m) „Et ait Comes: (Adolphus) eat Episcopus in Vagri-

„am

f) Vid. CAROLI M. *Capitul. Lib. V. Cap. XLV. LUDOVICI. Pii de Ann. DCCCXXIX. Cap. IV. apud COLETVM Concil. Tom. IX. Col. 696. CAROLI Calvi Tit. XXXVII. Cap. II. Add. Tit. XXXII. Cap. II. Tit. XXXIV. C. IX. Concil. Wormatiense Ann. DCCCLXVIII. Cap. 50. apud COLETVM Tom. X. Col. 464. Concil. Coloniense An. DCCCLXXXVII. C. XIV. Concil. Metense Ann. DCCCLXXXVIII. Can. IV. cit. l. Tom. XI. Col. 573. et 593. IOHANNES VIII. Epist.*

CXIII. et in Actis Concil. Tricassini II. Nr. XI. cit. Tom. Concil. Col. 319.

g) Vid. IACOBI SIRMONDI *Not. ad Capitul.*

h) DU FRESNE *Gloss. Latin. voc.* Mansus ecclesiasticus.

i) ZIEGLER. l. c.

k) CALVINVS in *Lexic. iurid.* voce: Mansus

l) Vid. Eius *Wandalia Lib. IV. Cap XV.*

m) ZIEGLER *de Dote Ecclesiae Cap. VIII.*

„am adhibitis viris industriis, aestimari faciat praedia, quod de trecentis mansis defuerit, ego supplebo. Veniens Episcopus deprehendit praedia vix centum implere mansos. „etc. Quidquid tamen sit, certo scimus, inde regulam generalem struи non posse. Ditior certe in mansis una ecclesia altera fuit. Sic in priuilegio, ecclesiae Bremensi dato a CAROLO M. apud ALBERTVM CRANTZIVM: Parochiae septuaginta mansi sunt adsignati; n) immo ABBAS VS PERGENSIS: o) „Cuius curiae mille et centum mansi sunt, uno vallo comprehensi. „Prout fundatores ecclesiarum vel liberaliores, vel tenaciores extiterunt, ita et modo plus, modo minus illis obuenit. Accessere vero et postea variae collationes, quibus incrementa non modica dotes ecclesiarum acceperunt. p) Inde et Presbyteriales ecclesiae ultra mansum, illis adsignatum, variis accessionibus ditatae fuerunt. Scimus tamen, quod de nouiter adquisitis praediis tributa soluere debuerint. Confirmat adseratum AIM OIN IVS, q) qui CAROLVM Caluum formam tributi exsoluendi ita praescripsisse adfirmat: „E mansis dominicatis solidus unus, de unoquoque manso ingenuo denarii quatuor, de manso seruili denarii quatuor. „Accedit, quod supra de immunitate adducta loca, de uno saltim libero manso loquantur.

De nouiter adquisitis praedictis tributis solueantur eccliesiae.

## E 2

## §. XXVIII.

n) ALBERT. CRANTZIVS in Sa-  
xonia. thario Saxone.

p) ZIEGLER cit. l.

o) ABBAS VS PERGENSIS in Lo-  
q) AIM OIN IVS Lib. V. Cap. V.

## §. XXVIII.

Quod aegre tulerunt Episcopi cum suo clero, eo studia sua direxerunt, ut ampliores immunitates obtinerent. Scimus OTTONES varios erexisse episcopatus, multa etiam fundasse monasteria. r) Sub HENRICIS tempora fuerunt turbulentissima. Quotidianas fere clerics omnis fecit acquisitiones. Apud FRANCOS iam olim maxima erat Episcoporum auctoritas. Magnas in aula habuerunt partes. Comites plerumque rudes, saltim rerum militarium periti, Episcopi vero rerum callentissimi fuerunt. Eligebantur ad hanc dignitatem saltim nati de militari genere, adeoque et in numerum Principum relatos, et ad comitia eos admissos, scimus. s) Quid mirum igitur, quod etiam in Germania cristas exerent, eoque res deduxerint, ut non solum principales sibi vindicarent dignitates, sed et proedriam p[ro]ae principibus secularibus. Audiamus GEORG. WICELIVM, qui apud ZIEGLERVM t) ita loquitur: "Semel statuant, potestatem ecclesiasticam, qua Episcopi sunt omnino excellere, et longe inferiorem esse potestatem, qua principes sunt. Quod quum sit irrefragabile atque immotum, tamen gaudent audire tantum Principes, et proptermodum pudet Episcopos dici." Sic vel fibimet ipsis leges de immunitate dicere potuerunt.

## §. XXIX.

r) Vid. THEOD. DE NIEM de priuilegiis et iur. Imp.

s) Conf. SCHILTER de Libertate

ecclesiarum Germanicarum Lib.  
II. Cap. II.  
ZIEGLERI. cit. Cap. VIII. §. 32.

## §. XXIX.

Has ipsas quoque ratione administrationis et distributionis bonorum promulgarunt. Paucis hinc haec fata bonorum ecclesiasticorum euoluenda erunt. Sub auspiciis rei christianaee Apostoli curam oblatorum gerebant, et ex illis in pauperum potissimum solatum agapas instruebant. (§. II.) Crescente tamen in dies fidelium numero septem electi fuere viri, vt mensae ministerium gererent, quo Apostoli eo promptius verbi ministerio fungi possent. v) Post Apostolorum excessum Presbyteri praesidentes, quibus postea titulus Episcoporum obuenit, sibi supremum circa distributionem oblationum arbitrium vindicarunt. Quum vero quidam in distribuendo sibi met ipsiis potissimum prospicerent; (§. IX.) prodire ad tales abusum coercendum, variae sanctiones. Voluerunt quippe concilia, vt Episcopi tam Presbyteros, quam Diaconos in consilium adhiberent, pauperibusque et egenis ereditibus ecclesiasticis palmarie succurrerent. w)

## §. XXX.

Habuerunt dehinc e concilii Gangrensis dispositione, quaedam ecclesiae ad bonorum administrationem peculiares oeconomos. Ut omnibus ecclesiis essent, cavit concilium Chalcedonense, sed simul

E 3                      con-

v) Act. VI. 1. ad 6.

w) ILL. IO. GEORG. PERTSCH.  
in Histor. eccles. Sec. II. Cap. XI.

§. 4. Sec. III. Cap. IX. § 5. Sec. VI. Cap. XI. §. 6. seq. LVD. THO-  
MASSINVS de discipl. ecclesiast.  
Part. III. Lib. II. Cap. I.

constituit, ut ex iussu Episcoporum cuncta perageant. Adsumti fuerunt e clero cuiusuis ecclesiae. In occidente sub Episcoporum suprema inspectione cura bonorum Diacono vel Archidiacono demandata fuit. x) Quale fuerit oeconomorum officium, nos docet ISIDORVS: y) "Ad oeconomum pertinet re-, paratio basilicarum atque constructio, actiones ec-, clesiae in iudiciis vel in proferendo vel in respon-, dendo: tributi quoque acceptio, et rations eorum, ,quae inferuntur: cura agrorum, et culturae vinea-, rum, caussae possessionum et seruitalium, stipendia ,clericorum et viduarum, et deuotarum pauperum: ,dispensatio vestimenti, et virtus domesticorum cle-, ricorum. Quae omnia cum iussu et arbitrio sui E-, piscopi ab eo implentur." Penes Episcopos igitur cura suprema fuit, quorsum etiam concilia colline- ant. Ita in concilio Cabillonensi: z) "Statuimus, vt ,Episcopis cura et potestas sit tam de ordinatione cle-, ricorum, quam de facultatibus collatis oratoriis." etc. Adstricti erant hi oeconomi, vt mensibus sin- gulis apud arcarios, hi autem apud Episcopum quo- tannis redderent rations. aa) Quomodo interim quidam Episcopi in bonis administrandis et distribu- endis fuerint versati, pluribus hic supersedeo enu- merare. SARPIVS vocat istos usurpatores, fures bo- no-

x) THOMASSINVS *L.cit. Cap.II.*  
seq.

y) ISIDORVS in *Epiſt. ad Leude- fredum.*

z) *Can. XIV.* Adde *Can. apostol.*

XXXVII. quo simul abusus E-  
piscoporum, siuos cognatos di-  
tantium, notatur.

aa) IOH. FABRICIVS in *Annot. ad  
Concil. Gangrenſ. can. VIII.*

norum communium, raptiores, latrones, quum tantum sint nudi rerum alienarum dispensatores et administratores. bb)

### §. XXXI.

A quo tempore diuisio reddituum, ecclesiae in De diuisi-  
quatuor partes fuerit instituta, ita vt vna Episcopo, one bono-  
altera clericis, tertia pauperibus, quarta aedificandis rum ec-  
et reparandis aedificiis inserviret, satis clare definiri  
nequit. Hoc scimus, iam quinto seculo in latina ec-  
clesia vfitatam fuisse, quum Graeci Episcopi hanc  
propugnauerunt sententiam: integrum esse debere  
Episcopo, vt, qua polleat sapientia et religione, omnia  
dispenset, nec nisi Deo rationes faciat. cc) Quamdiu Quando  
tamen diuisio ista durauerit, itidem satis explora- euanuit  
tum non est. Euanuit paulisper in ecclesiis cathe- ista.  
dralibus, ex quo Episcopi parochis fundorum vsum-  
fructum sub titulis beneficiorum concederent, cano-  
nicis in communi viuentibus, multa latifundia do-  
narent, et in ecclesiarum refectiones pariter certa  
praedia consecrarent. dd) Invaluerunt deinceps pree-  
bendae in ecclesiis cathedralibus et collegiatis, immo-  
et monachis aut canonicis regularibus concessae fue-  
runt. ee) Inde euenit, vt pauperibus parum aut ni-  
hil relinqueretur.

### §. XXXII.

- 
- bb) SARPI de beneficiis §. LII. cc) Vid. THOMASSINVS cit. l.  
Conf. THOMASSINVS de Di- cap. 13. seq.  
scipl. eccl. Part. III. Lib II. cap. dd) THOMASSINVS cit. l. cap.  
6. seq. 19 20 21. 22 seq.  
ee) THOMASSINVS cit. l. cap. 25. seq.

## §. XXXII.

Translata  
sunt in ec-  
clesiam  
bona im-  
mobilia  
pro salute  
aeterna  
obtinен-  
da.

Formulae  
donatio-  
num hanc  
in rem.

Antistites ecclesiarum varios census a clericis  
et laicis suarum dioecesium exegerunt. Huc perte-  
nent procuratio pro visitatione soluenda, cathedra-  
ticum vel synodaticum, quarta legatorum piorum,  
subsidia charitativa, emenda, deportus, spolia, an-  
natae. ff) Lautiores vero redditus et Episcopi et cle-  
ri reliqui et monachi acceperunt e munificentia  
regum, principum, comitum, nobilium, aliorum  
que priuatorum. Quam profusae fuerint in ecclesi-  
as bonorum largitiones, tot mille loquuntur docu-  
menta praecipue, quum sententia ista: vergere ta-  
les oblationes in salutem animae, ipsis sanctis, immo  
Christo, Deo, sic donari, radiees egerit profundio-  
res. Tradebantur ideo bona his formulis: pro re-  
medio animae meae, pro mercede animae meae, vel  
genitoris vel genitricis meae. Formulae tales plu-  
res leguntur in capitularibus regum Francorum et  
in formulis Marculphi. Ita in Capitul. CAROLI  
Magni: "Offero Deo atque dedico omnes res, quae  
in chartula tenentur insertae pro remissione peccato-  
rum meorum ac parentum et filiorum etc." Et in  
formulis Marculphi. gg) -- "Ergo ego in Dei nomine  
ille in amorem domini nostri Iesu Christi et remis-  
sionem peccatorum meorum, ut veniam deliciis  
meis consequi merear in futurum, dono, donatum  
que in perpetuum esse volo. etc." Taceo alias for-  
mulas in variis documentorum collectionibus ob-  
uias.

ff) THOMASSINVS cit. loc.

Cap. 32. seq. 37. seq. 51. seq.  
56. seq. 58. seq.

gg) Vid. Formul. MARCULPHI

Lib. II.

uias. Adiiciam quaedam verba ex interdicto PAV-  
LIV. Pontificis contra Rempublicam Venetam, v-  
bi: "In ecclesiastica bona, quae ecclesiis, ecclesiasti-  
,,cisque personis, et aliis locis piis a testatoribus et  
,,ceteris Christi fidelibus pro remedio peccatorum et  
,,exonerazione conscientiae plerumque relinquuntur.,," Ne itaque fisci redditibus suis in totum defrau-  
darentur, congruum fuit, tam clericorum avaritiae,  
et huiusmodi elargitionibus et acquisitionibus mo-  
dum ponere.

Restricta  
fuit haec  
adquiren-  
di licentia.

## §. XXXIII.

Id iam seculo ordine quarto factum fuisse, dubio Continu-  
caret. Fuerunt quidem nonnulli Episcopi et clerici atio.  
in ea sententia: praestare, vt laici omnes possessiones,  
fundos, agros ecclesiarum in se reciperent, vicissim  
que pauperum sustentandorum alendique cleri cu-  
ram induerent; sed aliis opulentia bonorum fuit iu-  
cundissima. hh) Hinc omne studium in adquaestu  
posuerunt. Hunc pruritum quodammodo lata lege  
compescuerunt VALENTIANVS, VALENS, Valent-  
GRATIANVS, Augusti; En! verba legis. ii) "Cen- niani Va-  
„semus etiam, vt memorati (Continentes) nihil de e- lentis  
„ius mulieris, cui se priuatim sub praetextu religio- Gratiani  
„nis adiunixerint, liberalitate quadam vel extremo  
„iudicio possint adipisci: et omne in tantum inefficax  
„sit, quod alicui horum ab his fuerit derelictum, vt  
„nec per subiectam personam valeant aliquid, vel  
„donatione vel testamento percipere. „ etc. Hanc

F con-

hh) THOMASSINVS de vet. et ii) L. XX. Cod. Theodos. de Epif.  
nou. ecclesi. discipl. Part. III. et Clericis.  
Lib. III. Cap. I.

constitutionem rei ecclesiasticae maxime salutarem  
 vel ideo laudavit HIERONYMVS, quod sic sordidae  
 Sententia Hierony-  
 mi de hac  
 constitu-  
 tione,  
 „inquit, dicere, sacerdotes idolorum, mimi, et aurigae,  
 „et scorta hereditates capiunt, solis clericis, et mona-  
 „chis hac lege prohibetur, et non prohibetur a perse-  
 „cutoribus, sed a principibus christianis, nec de lege  
 „conqueror, sed doleo, cur meruerimus hanc legem.  
 „Cauterium bonum est; sed quo mihi vulnus, vt indi-  
 „geam cauterio? Prouida seueraque legis cautio, et ta-  
 „men nec sit refraenatur avaritia, etc. kk) AMBRO-  
 SIVS II) in eadem fuit sententia, ita enim loquitur:  
 Sententia Ambrosii.  
 „Contra nobis etiam priuatae successionis emolu-  
 „menta recentibus legibus denegantur, et nemo con-  
 „queritur. Non enim putamus iniuriam, quia di-  
 „spendim non dolemus. Scribuntur testamenta mi-  
 „nistris templorum, nullus excipitur prophanus, nul-  
 „lus ultimae voluntatis, nullus prodigus verecun-  
 „dia: soli ex omnibus clero commune ius claudi-  
 „tur, nulla legata vel etiam grauium viduarum, nul-  
 „la donatio, et vbi in moribus culpa non deprehen-  
 „ditur, tamen officio multa praescribitur. Quod  
 „ego non vt querar, sed vt sciant, quid non  
 „querar, comprehend. Legitimis heredibus re-  
 linquenda esse bona dicebat. Et reuera hereditates  
 oblatas repudiauit, dum quae ad victimum et a-  
 mictum necessaria, ex collectis et oblationibus com-  
 parare vellat.

§. XXXIV.

kk) HIERONYMVS Epistol. II. ad [II] In libell. aduers. Symmach.  
 Nepotian.

## §. XXXIV.

Nihilominus tamen plurimi clericorum legem  
sic admodum duram sibi imponi credentes, adhibi-  
ta astutia, istam euertere, et perfringere studebant,  
potissimum, quum differentiam quandam inter fidei-  
comissa et legata statuerent. mm) Alia itaque pro-  
diit constitutio libertatem capiendo e testamentis cer-  
tarum personarum restringens. Ita enim VALEN-  
TINIANVS, THEODOSIVS et ARCADIVS consti-  
tuerunt. "Ne ecclesiae, Episcopi et in genere omnes  
,,clericci ex ultima voluntate Diaconissarum quid ca-  
perent., nn) Sed mox alia lege hanc constitutio-  
nem sustulerunt. oo) Ad persuasionem clericorum  
hanc sanctionem prodiisse persuasissimum habeo.

Continu-  
atio.

## §. XXXV.

Deo elargiri, quidquid ecclesiis obueniret, sem-  
per in ore habuerunt clericci. Ea de causa in Anglia De non  
transfe-  
liberalitas et munificentia Regum in ecclesiis cleri- rendis bo-  
cosque olim satis larga fuit. Sic seculo nono A E- nis im-  
THELVPHVS decimam regni portionem, liberam in ecclesi- mobilibus  
omni tributorum onere Deo dedit, quam donationis am in aliis  
tabulam ex MATHAEO Westmonasteriensi adducit quoque  
CHOPPINVS. pp) Verba huc pertinentia haec sunt: regnis la-  
,,Ego Aethelulfus Rex occidentalium Saxonum cum leges, vt  
,,concilio Episcoporum ac principum meorum con- in Anglia.  
F 2 ,sili-

mm) B. THOMASIVS in Diff. oo) Vid. L. XXVIII. Cod. Theod.  
de natura precum iuridicarum. de Episc. et Clericis  
nn) Vid. I. XXVII. Cod. Theod. pp) CHOPPINVS de S.P. Lib.  
de Episcop. et Clericis. III. Tit. II. nr. 6.

„filium salubre atque remedium affirmavi, vt ali-  
„quam portionem terrae meae Deo et B. Mariae, et  
„omnibus sanctis iure perpetuo possidendam conce-  
„dam, decimam scilicet partem terrae meae, vt sit  
„tuta muneribus et libera ab omnibus seruitiis secu-  
„laribus; nec non regalibus tributis, maioribus et  
„minoribus, seu taxationibus..” Sed quam exitiosae  
fuerint regnis et rebus publicis eiusmodi profusiones,  
res ipsa clamat. Taceo, quod bonorum adfluentia  
ad luxuriam clericos inuitauerit. Audiamus ipsum  
RICHARDVM I. Regem Anglorum. “Eleemosynas,  
„inquit, populi distrahuunt, et expendunt in prauos  
vsus. „qq) Inde adquirendi licentia varie fuit re-  
stricta. G VILIELMVS I. legem tulit: rr) “Ne mona-  
„chorum collegiis latifundia erogarentur, et bona  
„immobilia per emtionem traderentur..” Et EDV-  
ARDVS I. sanxit: “Sacerdos possessiones ne emitto..”  
Ita vt in detrimentum regni et obsequii militaris,  
feuda et aliae possessiones ad manum mortuam de-  
uenire non debuerint. ss) Hanc sanctionem HEN-  
RICVM V. confirmasse, et, vt sancte custodiretur,  
voluisse, adfirmat POLYDORVS VIRGILIVS. tt)

## §. XXXVI.

In Repu-  
blica Ve-  
neta.

Iisdem vestigiis institerunt Veneti, quorum con-  
trouersia cum Papa PAVLO V. hac de re orta, no-  
tissima est. Tulerunt quippe legem, qua non modo  
eccle-

qq) Conf. IER. A COSTA. De l' origine et du progres des Renu-  
nues ecclésiastiques.

rr) In Magna charta. Cap. 36.

ss) ANT. BADIN. ALTESERRA de  
Ducib. et Comit. Lib. I. C. XVIII.  
tt) POLYDOR. VIRGILIVS Hi-  
stor. Anglic. Lib. XIII.

ecclesiasticis collegiisque, praediorum ac iurium illis annexorum acquisitiones in posterum denegarunt, sed etiam ecclesiae legata distrahi, aut nisi distrahan-  
tur, fisco inferri iusserunt, et fideicomissa sacerdo-  
tis nomine relinqu, aut sacerdotis oratione scripto-  
ue fieri prohibuerunt. vv) Hanc legem Anno c<sup>l</sup>xxxv.  
renouarunt Veneti, cum additamento, vt clerici fa-  
cinatorosi Ducis et Reipublicae animaduersione exi-  
mendi haud essent. ww) Aegre tulerunt id Pon-  
tifices, et praeципue P A V L V S V., qui propterea  
Venetis interdixit sacris. Probarunt autem isti,  
et qui contra Pontificem cum multis aliis hac de re  
disputauit P A V L V S S A R P I, xx) clericos tantum cen-  
tesimam partem subditorum esse, et nihilosecius  
plus, quam tertiam bonorum partem possidere, in  
nonnullis vltra quartam, in Bergamasco vltra dimi-  
diuum. ,,, Eandem in rem Q V I R I N V S Senator Vene-  
tus ita loquitur: "Omni diuitiarum genere abundant  
Episcopatus, perdiuites sunt Abbatiae, ditissima mo-  
nasteria, quorum pleraque redditus suos annuos quin-  
quaginta milibus aureorum non deuenderent, et  
quantum ad diuitias, quas ecclesiastici sub dominio  
Venetorum possident, incredibiles fere sunt, et vt  
ex libris publicis recognouimus vltra triginta mil-  
liones auri se extendunt, ex qua summa pro redditis  
bus annuis plus quam centum et quinquaginta my-

F 3

ria-

vv) BODINVS de Republica. Lib.  
V p. m. 829.

ww) BVSIVS de natura bonorum  
ecclesiasticorum. §.XXX.

xx) Vid. huius incomparabilis

Theologi tract. inscript. Le Fra-  
Paolo considerat supra le censu-  
re di Pappe contra la Republ.  
di Venetia. Scriptum diguum,  
quod legatur.

„riades proueniunt. In subsidium belli Turcici IV.  
 „milliones auri pro virium tenuitate obtulerunt.,,yy)  
 Ex quo exemplo paupertas, qua laborant monachi,  
 luculenter patescit. Tale quid etiam obtinet in Sici-  
 lia, vbi ecclesiae fundos adquirere non possunt, nisi  
 regia accedat indulgentia. In genere immobilium  
 acquisitiones in Italia interdictae sunt. zz)

### §. XXXVII.

Apud Gallos sine consensu principis ecclesiis bo-  
 na immobilia transscribi nequeunt. Iam CHILPE-  
 RICVS defunctorum, qui ecclesiis haeredes institue-  
 rant, testamenta euertit, quod tamen GVNTRAMVS  
 iterum permisit. CAROLVS Caluus in Capitulari-  
 bus constituit: "Vt illi Franci, qui censum de suo ca-  
 „pite vel de suis rebus ad partem regiam debent, si-  
 „ne nostra licentia ad casam Dei vel ad alterius cuius-  
 „quam seruitum se non tradant, vt respublica, quod  
 „de illis habere deber, non perdat „etc. Quod etiam  
 apud Gallos semper fuit obseruatum. ALTESERRA  
 et CHOPPINVS hac de re nos certiores reddere pos-  
 sunt. Sic GVNDVLFVS quidam se et sua bona B.  
 Martino obtulit, imperato prius regio praecepto.  
 Hinc GREGORIVS Turonensis, "Tandem, ait, inspe-  
 ctis propriae conscientiae noxis conuerti decreuit  
 „se vt humilitatis capillis ipsi sancto deseruiret anti-  
 „ftiti, sed prius a Rege praeceptum elicuit, vt res su-  
 „as omnes Basilicae traderet viuens.,,a) Plura ex-  
 em-

yy) BVSIVS de natura bonorum ecclasticorum loc. cit. Relat Nation Reipubl. Venet. Paulo V.

oppofita.  
 zz) CHOPPINVS de S. P. Adde BVSIVM loc. cit.

empla coaceruarunt citati scriptores. In statuto Auenionensi expresse cautum, ne beneficiarii fundi vel emphyteutici ecclesiis aliquis corporibus quoouis modo transcriberentur. b) In regno Lusitaniae neque ecclesiae neque monasteria ne quidem emere possunt bona immobilia sine licentia Principis. c) In Hispania similes leges receptas esse testatur **BELLV**-In Hispania, d) ne quis denuo fundus nisi auctoritate Principis transferatur. Nec gaudent ibi Episcopi superioritate ac iurisdictione temporali, nec habent iura fiscalia.

### §. XXXVIII.

In Belgio primum edictum fuit **GVIDONIS COMITIS** Flandriae de Anno **c. 1344**, cui prohibitioni accessit constitutio **PHILIPPI PVLCERI**. Adsum quoque tabulae Brabantinae **IOHANNIS DUCIS** de anno **c. 1372**, seuere ecclesiasticis prohibentes acquisitionem bonorum immobilium. In Geltria talem legem quoque obseruari voluit **ARNOLDVS DUX**, lata lege Ann. **MCCCCXL**. Noua deinde de non transferendis bonis in manus mortuas constitutio promulgata est a **CAROLO V**, in qua cautum, ne bona siue allodialia, siue feudalia, siue emphyteuticaria, vel censualia possent vendi, aut cedi quacunque ex causa in manus mortuas, nisi praecesserit principis consensus. In regno Moscouitico, quod **CHOPPINVS** arcto vertici subiectum dicit, existit.

- |   |   |
|---|---|
| a) <b>GREGORIVS Turonensis de Mirac S. Martini Libr. III.</b> | c) <b>LVDOV. MOLINA de iustitia et iure P. I. Diff. 40.</b>   |
| b) <b>CHOPPINVS l. c.</b>                                     | d) <b>BELLVGA Ictus Hispanus in Specul. princ. rubr. XIV.</b> |

In Lusitania.

In Hispania.

In regno Moscouitico.

Moscouitico.

git Princeps tributum nummariumque subsidium ab Episcopis. e)

### §. XXXIX.

In Germania. Quid dicam de Germanis? supra iam de liberalitate principum in ecclesiis dixi; vergere tamen tales profusas donationes in reipublicae detrimentum, putarunt plurimi. HENRICVS Leo Dux Saxonie, teste CRANTZIO, f) in ea erat sententia: "Quod clerici sacris obseruandis, non administrandis rebus temporalibus animum intentum habere deberent." Ast nimis sero tale quid introductum, et satis pie HENRICVS IV. dixit: "Ecce isti (praesules scilicet) sunt, qui regni mei diuitias habent, et me meosque omnes in paupertate reliquerunt, quod si illi de medio fuissent ablati, ego, cunctique mei familiares cito possent fieri diuites." Iam CAROLVM M. talem legem tulisse scimus, ast eam diu obseruatam, vero haud simile videtur. Ita enim legitur in capitularibus: g) "Et hoc Christo propitio placuit, vt undecunque census aliquid ad fiscum pernenerit, siue in frido, siue in qualicunque banno et in omni redibutione ad Regem pertinens decima pars ecclesiis et sacerdotibus reddatur." Et porro: h) "Similiter secundum Dei mandatum praecipimus, vt omnes decimam partem substantiae et laboris sui ecclesiis et sacerdotibus donent, tam nobiles, quam ingenui similiter et liti, iuxta quod Deus vnicuique dederit chri-

e) RENATUS CHOPPINVS de Sacra Politia. loc. cit.  
f) CRANTZIVS in Metropoli Lib. VII. Cap. I.

g) Vid. Capitul. de partibus Saxoniae Art XVI. Edit. Baluz. p. 253.  
h) Ibid. Art. VII. Adde Art. XIV. XV.

„christiano, partem Deo reddant. De OTTONE IV.  
Augusto ALTESERRA. i) ex GVILIELMO Brittone refert,  
istum huiusmodi legem a se latam praedicasse:

Illo quippe die, quo me diadematè primum,  
Reddidi insignem patrum pater imperiali,  
Hanc promulgauī legem in scriptisque redactam  
Iussi per totum seruari firmiter orbem  
Ecclesiae decimas, oblataque munera tantum  
Possideant, villas nobis et praedia linquunt,  
Viuat ut hinc populus, habeatque stipendia miles

In Saxonie inferioris prouinciis statuta quaedam  
Sec. x i v. hac de re exstitisse, ex constitutioni-  
bus imperialibus liquet, k) licet eadem peculiari  
abrogauerit sanctione l) CAROLVS IV. Exstat tale  
statutum in Ducatu Magdeburgensi. Respexit ad i-  
stud Serenissimus Elector Brandenburg. rescribendo  
ad Regimen Magdeburg. Anno MDCLXXXVI. Verba  
Rescripti hic pertinentia haec sunt: Wir haben in  
Gnaden resoluiret / daß wir von der einmahl gegebe-  
nen Regel / daß keine feuda mehr denen Collegiis und  
Vniuersitatē in manum mortuam verlichien werden  
sollen / nicht abschreiten können. Et in statutis Ham-  
burgensibus cautum, vt ad manum mortuam tertia  
pars bonorum relictorum tantum transeat: So weit  
sich dieselben über den dritten Theil der wohlgewonne-  
nen Güter nicht erstreckt. In Ducatu etiam Iuliacensi  
lex viget, ne subditī bona immobilia vendant. In  
statutis Coloniensibus simile quid expressum. m) In  
Republika Francofurtana clericī bona immobilia ad-

G

qui

i) ALTESERRA de Duciis et perial. Tom. II.  
Comitis. Cap. XVIII. Libr. I. l) ZIEGLER de Dote Eccles. C VIII. § 53.  
k) Confer GOLDAST. Constit. Im- m) BESOLDVS Conf. 278 n. 34.

quirere non possunt, sed ut adquisita iterum in ciues, reddito pretio, transferant, obligati sunt. Quod priuilegium debent Francofurt. SIGISMUND. Confirmavit etiam istud MAXIMILIANVS. n) Quali priuilegio civitas Eslingensis quoque gaudet. In reliquis regnis, quorum statuta inspicere mihi non licuit, quid circa acquisitionem obtineat, non possum determinare. Certum est, quod adquirendi licentia variis modis restringatur. Vbi hinc nulla lex prohibens, nullum pactum, nulla denique consuetudo occurrit, ibi secure clerici et ecclesiae bona immobilia, posthabito Principum, aut Procerum consensu possunt adquirere. Clero Polono Princeps Boleslaus exemptionem dedit ab oneribus et muneribus. Quid autem de adquirendorum bonorum immobilium licentia dicendum? haud scio. In Hungaria clerici eadem habent priuilegia, quibus gaudet nobilitas. Abyssini sacerdotes non habent, quod querantur, quem amplissimis praediis quasi cumulentur. o) Rex enim est ipse summus sacerdos.

n) Priuilegium adducit ill. DIET. HERM. KEMMERICH in *Diss. de facultate alienandi et adquirendi bona immobilia iure Francofurtano restricta*. Verba huius priuilegii, luc pertinentia haec sunt: Wir Sigismund von Gottoch Gaaden Römischer König, daß keine Fürste geistliche oder weltliche anders, was Besitz der sey, d'seine Husunge, hoff, oder andere Gütere oder Erbe in Unse-

rer und des Reichs Statt zu Frankfort, noch zu Sachsenhausen, und ihrer zuchdrunge und Gerichte kaufsa solle noch, midge, noch anders an sich erzehgen, innenem oder empfahen, Er sey dann ein Wernlicher ingeschuer Bürger oder Beyseße dafelbs der uns dem Reiche und derselben Stat zu Frankfort, verbunden getreu und gehorcam sey, etc. Geben zu Ache Anno 1316.  
o) CHOPPINVS de *Sacra Politia L.III.*

T A N T V M.

• o • (•)

HELMSTEDT, Diss., 1745-47

ULB Halle  
004 599 888

3



f

TA → DL

Nur 1+ 19 Stück verfügb.





Q. D. B. V.

C 13. num. 12.

7  
DISSE<sup>T</sup>RAT<sup>O</sup> IVRIDICA  
**PLENIOREM ADSSERTIONEM IVRIS**  
**AMORTIZATIONIS**  
SISTENS.

QVAM

AVCTORATE ILLVSTR. ORDINIS ICTORVM  
IN ALMA IVLIA CAROLINA  
PVBLICE VENTILANDAM PROPO<sup>N</sup>IT

P. 319.  
PRAESES  
FRID. AVGUST. CHRIST. VVAHL, D.  
RESPONDENTE

IOANNE CAROLO MÜHLRATH,  
VITEMB. SAXON.  
IVRIS VTRIVSQUE CANDIDAT.

AD D. VII. MAII MDCCXLVI.

HELMSTADII  
TYPIS PAVLI DIETERICI SCHNORRII  
ACAD. TYPOGR.

(6)

